



Jl  
6097



36  $\frac{111}{248}$



148

185-581  
C

10	a	$\frac{8}{1}$	2
14 2/2	a	$\frac{2}{8}$	27
12 5	a	$\frac{248}{141}$	55
10 3	a	$\frac{1}{45}$	5
12 4	a	$\frac{4}{1}$	2
1 3	a	$\frac{1}{41}$	1
1 4	a	$\frac{5}{1}$	41
			185

SENTENTIÆ  
Doct̃oris Lucae Osiandri, de  
PRÆDESTINATIONE, EX  
PRÆCLARIS EIVS IN SACRa  
BIBLIA COMMENTa-  
TARIIS COLLECTÆ:



Studio & Opera

M: Iohan: Pandochei, Ece-  
clesiæ Northusanae Pastoris.

IMPRESSÆ SVMPTIBVS  
Iohannis Eysenbergij.

I 5 9 7.

SENTENTIA

Doctoris Ludovici Quidam de

REPUBLICA CIVITATIS

REPUBLICA CIVITATIS

REPUBLICA CIVITATIS

REPUBLICA CIVITATIS

Studio & Opera

M. Johanni Pandochei, Ec-

clesi Norimbergensi

IMPRINTE SVAMPITIBVS

Johannis Fytenbergij

1 2 3 7



# In Epistolam Pauli ad Romanos, CAPITE IX.



VIA hæc doctrina Pauli de æterna DEI Prædestinatione paulò obscurior est: Nos ejus loci summam paucis compræhensam tractabimus, vt quæ in Paulo sequuntur, rectius intelligi queant.

I. Certum est, DEUM ab æterno definivisse seu prædestinasse, quos saluos facere decrevit.

II. Hoc DEI decretum firmum est & immutabile.

III. Nequè tamen rectè dici potest: Si me Deus ad salutem prædestinavit, saluabor, quicquid etiam egero: Si me non prædestinavit: peribo, nequè vllum meum consequendæ salutis studium mihi quicquam proderit. Deus enim, quos ad salutem prædestinavit, ita prædestinavit, vt velit eos in CHRISTVM credere, & ex ea fide piam vitam ducere. Itaque qui sine vera fide & vitæ emendatione ex hac vita discedunt, hoc ipso ostendunt, se non fuisse prædestinatos.

III. Multi autem, eorum etiam, qui verbum Euangelij audiunt, non credunt in CHRISTVM, nequè piè viuunt, idquè non culpa DEI, sed quia in peccatis concepti, nati & cæci, atquè ad omnis generis flagitia proni sunt: Ideoque (ex suis viribus) CHRISTVM agnoscere nequeunt. Neque tamen ejus cæcitatæ & prauitatis culpam in DEVM conferre possunt, quia peccatum non est à DEO, sed à Diabolo, qui creaturam DEI bonam in primis nostris parentibus (tanquam veneno quodam lethali) infecit.

V. Deus etiam (quippe natura sua optimus & justissimus) neminem ad peccandum impellit, multò minus cogit: Sed pro sua natura, vel quod in se est, vult, vt omnes sint justî, boni, salui. Sicut Sol vult omnia illuminare, & tamen per accidens excæcat imbecilles oculos, cujus rei culpa Soli non potest rectè tribui, sed visus imbecillitati.

VI. Sicut autem Reprobi non pereunt culpa DEI: Sic Electi non

SENTENTIAE D. LUCAE OSIANDRI

non saluantur sua dignitate, operibus aut meritis suis: Sed tantum gratuita & mera DEI clementia, qui eorum ex gratia miseretur. Cum enim omnes homines natura sua sint peccatores: etiam Electi obnoxij essent aeternae damnationi, nisi gratuita misericordiae diuina seruantur.

Scopus con-  
trouersiae  
Northusa-  
nae.

VII. Quod autem Deus Electos seruat / relictos in peccatis suis perire / propterea ipse iniquitatis argui non potest. Quia non damnat sanctos aut innocentes homines / sed peccatores. Et ut illi licet in Electis ostendere ineffabilem misericordiam suam: Sic licet illi in Reprobis demonstrare iustissimum iudicium suum erga peccatum.

VIII. Quaerere autem / quare Deus Reprobis non etiam fidem donet? Item: Quare Deus corruptam naturam in hominibus per continuam propagationem conseruet / nec eam aboleuerit (deletis primis nostris parentibus) & nouam incorruptam creauerit: Item, Velle (extra Ministerium verbi DEI) scrutari, qui nam sint Electi, qui non: ea omnia & similia, curiositatis sunt non pietatis. Nequè enim aequum est, ut homo seipsum sapienterem aut iustiorerem quàm Deum opinetur.

IX. Tu verò, quisquis in CHRISTVM verè credis, confide te electum esse, interim tamen nihilominus ora Deum, ut fidem tuam adaugeat, & Spiritu suo sancto actiones tuas gubernet.

X. Vfus enim doctrinae Prædestinationis non est, ut quis (sub Electionis prætextu) frenum carni laxet, aut ad desperationem (imaginatione Reprobationis) adigatur: Sed potius, ut agnoscens nos ex gratuita clementia ad vitam prædestinatos, corde, ore & opere DEO gratos vicissim nos exhibeamus: Utquè in grauissimis tentationibus (imò etiam in commissis grauibus peccatis) resipiscens non despondeamus animum. Sed sciamus nulla diabolica vi fieri posse, ut decretum DEI de nobis irritum fiat: Utquè non offendamur eorum cœcitate, qui cum aliis in re-  
bus

bus mundanis sint perspicacissimi, tamen sinceram religionem Christianam non agnoscunt, sed eam potius blasphemant & persequuntur, Memores Scripturæ, quæ docet:

**Non omnibus datum esse Christum agnoscere et saluari.**

Hæc de Prædestinatione summam præmittere visum est.

**In Exodum, Cap. IV.**

**Ego vero indurabo Cor ejus / et non dimittet populum.**

ID EST, Prædico tibi, quid euenturum sit: Ut cum acciderit, non idè deliberatione populi mei desperes. Pharaon totus est impius: Quare cum audierit verbum meum, & viderit prodigia, quæ facies, reddetur multò durior, asperior, obstinacior, crudelior: Idquè non vitio meo aut verbi mei, aut miraculorum meorum (Ego enim Deus sum, non volens iniquitatem, Psal. 5.) sed suo ipsius vitio. Ea est enim hominum impiorum natura, ut quantò clarius illis affulget verbum meum: tantò magis vitio corruptæ naturæ, cæcutiant: Et quantò evidentius conuincuntur veritatis, tantò rabiosius insaniant & rebellent: nisi diuinitus eorum corda immutauero, & ad pœnitentiam conuertero, quòd tamen vt faciam, nequè Pharaoni nequè cuiquam alij sum obstratus. Neque quisquam a me aeterno / iustissimo / omnipotenti et sapientissimo Deo rationem erigere debet / cur hunc ad pœnitentiam vocem et permoueam / illum vero in corruptione naturæ suæ perseuerare / et verbo meo admonitum / semper tamen in pejus ruere sinam. Licet enim mihi in illo declarare meam misericordiam gratuitam: In hoc verò iustitiam meam irreprehensibilem. Quod posterius facturus sum etiam in impio Pharaone, cui te listas volo.



SENTENTIAE D. LVCAE OSIANDRI

## In Caput VII.

**Sed ego indurabo Cor ejus.**

**ID EST**, Cum sit natura ejus tota peccato jam antea depravata, non conuertam eum, sed talem, qualem inuenio relinquam: & tamen eum verbo meo vrgebo, postulans, vt Israelitas dimittat: Tum fiet (non verbi mei, sed suæ ipsius malitiæ culpa) vt indies durior reddatur, & obstinatio (quemadmodum videmus, limum tantò magis durescere, quantò Sol vehementius calefacit, cum idem Sol ceram non duriozem sed molliorem reddat.)

**Paulò post.**

**Idcirco autem posui te / vt ostendam in te fortitudinem meam: Et narretur nomen meum in omni terra.**

**ID EST**, Cum jam antea sis peccato originali totus deprauatus, non teneor, vt tui misertus te conuertam: & quandoquidem tam es obstinatus, vt ex tuæ naturæ corruptione tantò fias deterior, quantò pluribus pœnis & miraculis te ad pœnitentiam revocor. Ecce selegi te perditum & deploratum hominem, vt sis exemplar quoddam, in quo declarem, quàm sim omnipotens in puniendis obstinatis, vt hac occasione, potentia & iustitia mea passim hominibus innotescat, Quasi dicat, Du bist mir eben gerecht darzu / das ich meine Gewalt vnd strenge Gerechtigkeit an dir beweise. (In hanc sententiam Paulus Rom. 9. hoc dictum allegauit.)

## In Caput X.

**Ego enim induravi cor eius et seruatorum illius.**

**Pha-**





## DE PROVIDENTIA.

Pharao enim & serui eius, cum sint natura impij, relinquo eos tales, quales sunt: & insuper irrito eos verbo & prodigijs meis, ut quanto sapius mandata mea audiant, quantoque plura viderint miracula, tanto reddantur (non mea, sed sua ipsorum culpa) amentiores & magis obstinati, idque fieri permitto, **ut faciam hac occasione signa mea haec in eo** (Pharaone & seruis ejus.)

## In Caput XXXIII.

**Et miserebor cui voluero: Et clemens ero / in quem mihi placuerit. Heb. Et faueo cui faueo / Et miserebor cui misereor.**

**ID EST**, Hæc est voluntas mea; nimirum: **FAVORE PROSEQVOR** genus humanum, & misereor hominum: Sed non respicio cujusque vel dignitatem vel merita, Verum ex gratia quos volo / saluos facio / ne quis habeat / de quo coram me gloriatur. In hanc sententiam Paulus Rom. 9. allegat hoc dictum.

## Deut: Caput II.

**Quia indurauerat Dominus Deus tuus Spiritum ejus / et obfirmauerat cor illius.**

**ID EST**, Deus sinebat eum fieri securum & superbum: & petitione transitus irritauit eum & excoecauit, ut non animaduerteret, adesse in propinquo interitum suum & populi sui. Deus enim obijciendo impijs verbum suum (quo audito deteriores, & sua culpa quasi furiosi redduntur) dicitur eos indurare: non quod ex mollibus & tractatilibus reddat asperos & intractabiles: Sed quod non largiendo Spiritum sanctum relinquat eos suae impietati: **Qua fit, ut quanto clarius audiant verbum DEI**

SENTENTIAE D. LUCAE OSIANDRI

DEI, eò fiant obstinatiores. Sicut qui infirmos oculos habent, quanto Sol clarius splendet, tanto magis offenduntur & cæcutiunt: Nec tamen id Solis, sed oculorum vitio fieri omnibus constat: Ad hunc modum etiam induravit Dominus Spiritum, seu cor Regis Sehon.

In Caput XXIX.

Et non dedit tibi Dominus hactenus cor intelligens / et oculos videntes / et aures quae possint audire / usque in praesentem Diem.

NE hodie quidem post tot tantaque miracula plerique ex vobis potuerunt inde agnoscere potentiam & bonitatem DEI (hoc enim est cor intelligens & oculos videntes habere) nec voluntas vestra inclinata est, ut promptè & ex animo studeretis præceptis Domini DEI vestri obedire (id enim est aures audientes habere) Quia quam diu Dominus non illuminat hominis intellectum / manet coecus / Et donec trahit voluntatem manet inobediens.)

In I. Reg: Cap. II.

Quia voluit Dominus occidere eos.

ID EST, Quia decreuerat Dominus, eos violentæ morti propter tanta scelera obijcere. Quare non dedit eis gratiam Spiritus Sancti, ut resipiscerent & mortem effugerent? Neque enim tenetur Deus peccatoribus poenitentiam infundere. Sed in his / quos in impietate perire sinit iustitiam / in illis / quos ad poenitentiam flectit / misericordiam declarat.

In

DE PRAEDESTINATIONE

In II. Reg: Cap. XVI.

Dimittite / Sinite eum / vt maledicat / Dominus enim praecepit ei / vt malediceret Dauid.

IDEST, Agnosco hunc hominem à Sathana obsessum immitteri in mediunitus, vt mihi maledicat. Etsi enim ea scelera quae mihi impingit non admisi, tamen fateor, me peccatis meis magnis & multis; talia & atrociora etiam conuitia meritum: Itaque ea suscipio tanquam poenam peccati, impositam & profectam à Deo.

In Psalm. secundum Heb.

XXXIII. Secundum Lat: XXXII.

Qui finxit sigillatim / rectius: Simul Corda eorum. ( IDEST, Tametsi Deus malum non vult / nec est peccati causa: tamen ita dirigit omnium hominum consilia et actiones / vt ad ipsius gloriam et Ecclesiae eius salutem cedant ) Quippe intelligit omnia opera eorum / nouit quid tractent / quid moliantur et agant / eaque omnia ad suum institutum accommodare nouit.

In Psalm. XXXV.

Judicia tua abyssus multa.

Nullus finis est iustissimorum tuorum iudiciorum, quemadmodum nemo abyssum metiri potest. ( Significatur autem etiam hoc dicto / multa DEI iudicia ita esse imper-

B

per-

SENTENTIAE D. LUCAE OSIANDRI

perscrutabilia humanae rationi / vt altissima abyssus.  
Interim tamen / etsi nobis quaedam iudicia Dei videantur iniqua / tamen certo sciamus aequissima esse / etsi eam abyssum nos in hac vita investigare nequeamus.

In Argumento Psal: 139.

Commendat Psalter mirabilem DEI prouidentiam: quod nos ad vitam aeternam elegerit, quod nostras cogitationes & actiones non modo videat, sed etiam in sua potestate habeat, & ad sui nominis gloriam atq; ad nostram salutem dirigat.

In eundem Psalm:

Mirabilis facta est scientia tua ex me / confortata est / et non potero ad eam. Heb: Mirabilior est scientia (illa) et sublimior / quam vt eam (comprehendere) valeam. ID EST, Sapientia DEI, qua mundum, praesertim vero Electos suos gubernat / maior est / quam vt humana mente investigari possit. Quare qui Dei admiranda opera & mysteria ratione humana perscrutari volunt, nihil aliud agunt, quam vt cum ratione insaniant.

In Librum Proverbiorum,

CAPVT XVI.

Uniuersa propter semetipsum operatus est Dominus: impium quoque ad diem malum.

ID EST, Deus omnia creauit ad nominis sui gloriam, vt in  
deca

DE PRAEDESTINATIONE

de eluceant ejus sapientia, potentia, bonitas. Quin & impiorum hominum Creator est, etiamsi praevidit, quod impij & impenitentes sint futuri. Sed non creat ipsorum impietatem, eam enim hereditario ex utero materno in mundum afferunt: Corpus autem & animam eorum creat, ut aliquando in illis seuerè puniendis suam justitiam & **justum judicium** declaret: Sicut contra in saluandis pijs suam misericordiam & clementiam ostendit. Hic versus idem docet, quod Paulus Rom: 9. 10.

v. cap:

In Caput VI, Isaia,

**Ne forte videat oculis suis / et auribus suis audiat / et corde suo intelligat / et conuertatur et sanem eum.**

IDEST, Tu isaia dic populo judaico: Etsi clarissimè praediceretur Euangelion de Christo Messia & redemptore, idque confirmetur stupendis miraculis: Futurum tamen, ut neque Euangelio credant, neque miraculis attendant, neque Euangelium intelligant. Hoc dictum Euangelista & Paulus recitant de judaeorum excecatione, qua factum est, ut in tam clara Euangelij luce, non tamen veritatis doctrinam reciperent, Matth: 13 Mar: 4. Luc: 8. Iohan: 12. Actor: 28. Rom: 11. Non vult autem Deus significare, se esse autorem coecitatis judaicae / aut se inuidere illis Conversionem et Salutem. Deus enim non efficit sed inuenit coecos: Nec vult mortem peccatoris / sed magis ut conuertatur et viuat. Excoecare autem dicitur Judaeos / cum illis non aperit oculos mentis / Et tamen objicit illis splendorem Euangelij, unde a mentiores & rabiosiores fiunt, idque non DEI, sed sua culpa & innata malitia. Haec doctrina non proponitur / ut scrupulose et curiose quaeramus ac disputemus / Cur Deus hunc illuminet / illum vero in Coecitate sua re-

SENTENTIAE D. LUCAE OSIANDRI

Iniquat / Sed vt non offendamur, quando viderimus viros in hoc mundo aliàs sapientes & præstantes non amplecti sinceram Euangelij doctrinam, nevé ipsorum exemplo à doctrina Euangelij abhorreamus.

In Caput XLV

Nunquid dicet lutum Figulo suo: Quid facis?  
(Hæc Prophetæ doctrina late patet. Et docet non tantum in rebus tristibus non aduersus Deum murmurandum / sed etiam in negotio Praedestinationis æternæ non rixandum cum Deo / Quia hos illuminet / illos in mentis Coecitate et induratione perire sinat. In hæc enim sententiam, Paulus Prophetæ dictum de Figulo allegat Rom: 9. Itaque omnia quæ fecerit Dominus DEVS, Figulus noster probemus, eaquæ iusta & sancta esse credamus, etiam multarum actionum Dei rationes in hac vita non intelligamus)

In Caput LIX.

A modo et vsque in sempiternum.

ID EST, Euangelium meum & directionem Spiritus mei nunquam auferam à mea Ecclesia, Hoc illud ipsum est, quod Christus dicit, se missurum Ecclesiæ paraclerum, Spiritum veritatis, Ioan: 15. & 16. (Etsi autem Ecclesia quandoquæ puriorem, quandoquæ obscuriorem habet doctrinam, Et Spiritus sancti dona in Ecclesia aliquando sunt illustriora, aliquando minus illustria: tamen certum est, quòd Dominus sit conseruaturus Euangelium Christi in Ecclesia, vsquè ad finem mundi, quodquæ à Spiritu sancto ita gubernetur Ecclesia, ne everti possit, sed potius contra omnem Satanæ potestatem firma constet. Math. 16.

Ecclesia autem Christi, ad quam hæc promissio pertinet, est  
Coetus

## DE PROVIDENTIA

Coetus Electorum Dei / qui in orbem terrarum dis-  
persus est / qui verbo Euangelij credit / cupit Sacra-  
mentis a Christo institutis recte uti.

### In Caput II. Osee.

Desponsabo igitur te mihi in fide / seu per fidem.

(Qui enim in Christum, Deum & hominem, Mediatorem &  
Redemptorem suum credit, is Christo spiritualiter est desponsa-  
tus: estque caro de carne ejus, & os ex ossibus ejus, & aeterna fru-  
licitate cum marito suo Christo fruetur.)

### In Caput XI. Mathæi.

Quare autem Dominus Tyro & Sidoni non reuelauerit Euan-  
gelium, neque apud ipsos miracula ediderit ut conuerterentur  
Ciuitatibus verò in Galilæa Euangelion prædicarit, & stupenda  
illis miracula ostenderit, qui tamen non agebant pœnitentiam:  
Id diuinæ justitiæ, sapientiæ & majestati committamus, neque ad  
calculum nostræ humanæ rationis reuocemus. Quod enim ipse  
facit, non potest non esse optimum & justissimum, etiamsi nos  
factorum talium rationem ignoremus.)

### Paulò post.

Quia abscondisti hæc a sapientibus et pru-  
dentibus / et reuelasti ea paruulis.

IDEST, Gratias ago tibi, quod, cum hujus mundi sapien-  
tes Euangelion meum non intelligant, sed contemnant, Tu ho-  
minibus simplicibus (quos pueros dicere possis) oculos mentis  
aperueris, ut Euangelium meum grata mente suscipiant, fide ap-  
prehendant & saluentur.

B 3

Paulò

## Paulò post.

Etsi enim possunt aliquae rationes afferri / cur Deus non omnibus hominibus oculos mentis aperiat / ut veritatem coelestem recipiant et saluentur / Tamen omnium certissima ratio est **DEI VOLUNTAS** / quae non potest non esse optima / cum sit non hominis alicuius mortalis et iniusti / sed Dei optimi maximi voluntas. Sed & in alijs rebus cum rationem alicuius facti divini deprehendere non possumus , humiliter dicamus : Ita patet, **SIC TIBI PLACUIT.**

## In Caput XIII.

**Ne videant oculis et auribus audiant / et corde intelligant et revertantur et sanem eos / dicit Dominus.** Saepe in nouo Testamento hoc dictum Isaia, Cap: 6. quòd de excecatione populi iudaici vaticinatur, allegatur. Id autem vaticinium haudquaquam ita accipiendum est , quasi Dominus hominibus veram sui agnitionem , atque ita etiam aeternam salutem in videat : aut quòd Deus videntes excecare soleat , Deus enim hoc modo constitueretur **CAUSA PECCATI** : id quòd sentire non modò absurdissimum , verum etiam impijssimum est.

Et notatu dignum est , quòd Textus dicit : **Oculos suos clauserunt.** Hoc autem vult Propheta , Deum iusto suo iudicio punire in hominibus cõtemptum Religionis & Epicurismum , ut eiusmodi peruersi homines , etiam cum clarissimum verbum Dei audiant , non reddantur meliores neque saluentur , eò quòd salutis suae nullam rationem habeant , sed in carnalia sua sese totos demerserint.

In



## In Caput XXIII.

Ut in errorem inducantur si fieri potest: rectius si fieri posset / etiam Electi ipsi.

Ergo non omnibus miraculis simpliciter fides est adhibenda: Nam & Antichristi regnum stabilitum jri miraculis, Paulus prædixit 2. Thes: 2. Cap: Et magna consolatio est, quod CHRISTUS docet, Electos seduci non posse. Et si enim interdum primò in errorem incidunt, tamen in eo non perseverant usque ad vitæ finem:

Sed deprehensis imposturis in viam redeunt. Agitur autem hoc loco de ijs erroribus, qui animum exitium afferunt: non autem de leuioribus, qui fidei fundamentum non evertunt.

In Caput IV. Euang:  
S. MARCI.

Ne quando conuertantur et dimittantur eis peccata.

Hoc dictum CHRISTI ex Isaia Capite sexto est petitum. Non sentiendum est autem, quod Deus hominibus quibusdam salutem æternam inuideat. Dicit enim Dominus: NOLO MORTEM MORIENTIS, dicit Dominus Deus: Reuertimini & vive, Ezech: 18. Epicurismum autem & contemptum veritatis cœlestis punit Dominus justo iudicio, ut qui serio affectu non audiunt verbum Dei, etiam illud non intelligant, sed nugis & falsa doctrina magis, quam veritate delectentur. Paulus enim docet, Reprobos erroribus implicari & perire: EO QVOD VERITATEM CHARITATIS NON RECEPERINT ( id est, quia veritatem non dilexerint ) VT SALVI FIERENT. 2. Thes: 2.

IN:

SENTENTIAE D. LUCAE OSIANDRI

## In Caput XIII. Euang:

S. L V C Æ.

Et cum haec diceret / erubescabant omnes aduersarij eius : et omnis populus gaudebat in vniuersis / quot gloriose fiebant ab eo : Admirabantur et celebra-  
bant cum gaudio magnitudinem miraculorum **CH-  
RISTI** / et hoc aegerrime tulerunt Pharisaej / eorum-  
que similes (confunduntur autem hostes veritatis) et verbum  
**DEI** inuenit locum apud Electos / vt Deum agno-  
scant et celebrent.)

## In Caput VI: Euan-

GEL: IOANNIS.

**Domine quod dat mihi pater ad me veniet.**

**ID EST**, Quicumque à patre meo cœlesti ad vitam æternam prædestinati atque mihi donati sunt, vt fiant membra mea spiri-  
tualia, ij tandem in me credunt (venire enim ad **CHRISTVM**,  
hoc loco nihil aliud esse, quàm in ipsum credere, paulò antè ex  
ipsius Christi verbis percepimus.) Qui enim à Deo sunt præde-  
stinati, hi Euangelio Christi prædicato credunt, fide iustificantur,  
& æternam salutem & vitam consequuntur, juxta illud Pauli:  
Quos prædestinauit hos & vocauit (per ministerium Euangelij)  
& quos vocauit hos & iustificauit (fide in **CHRISTVM**) quos au-  
tem iustificauit, hos & glorificauit (præteritum pro futuro more  
hebraico) Quare autem Dominus quosdam in coe-  
litate relinquat / non est quod eum in jus vocemus:  
sed potius bonitatem eius in conseruandis nobis grata mente a-  
gnoscamus, & iusta iudicia ipsius in puniendis Reprobis adore-  
mus,

## DE PRÆDESTINATIONE

mus, dicamusque cum Paulo: **D** altitudo diuitiarum scientiæ et sapientiæ **DEI** / etc. Rom. 11.

### Paulò Post.

Non igitur mirum est, paucos verè in **CHRISTVM** credere. Non enim omnes / qui verbum Euangelij audiunt a Patre / ad Christum trahuntur et illuminantur. Cur autem Deus hunc trahat / alium vero non trahat / id ipsius sapientiæ et iustitiæ est committendum. In ijs enim quos trahit / suam misericordiam / In ijs / quos non trahit / suam iustitiam demonstrat / quia omnes homines invenit peccatores et aeterno supplicio dignos. Ergò tu Domino **DEO** pro ipsius misericordia gratias age, non autem iusta eius iudicia reprehende.

### In Caput XVII.

Non pro mundo rogo / sed pro his / quos dedisti mihi / quia tui sunt: **ID EST**, Non oro pro impœnitentibus, hi enim non saluantur: sed pro Apostolis & alijs fidelibus meis oro, quibus dedisti ut in me credant: hi à te ad vitam æternam creati & mihi donati sunt. ( Non enim orandum est pro impœnitentibus, ut in suis conatibus sint felices: Sed rogandus est Deus, ut ij, qui vsquè ad finem in impietate perleuerant, confundantur.

### In Actis Apostolorum,

CAP. XIII.

C

ET

SENTENTIAE D. LUCAE OSIANDRI

**Et crediderunt Evangelio quotquot erant** (in arcano Dei consilio) **praedeterminati ad vitam aeternam.** His datum est per Spiritum sanctum, ut in CHRISTVM crederent: reliqui verò audiuerunt quidem, sed non crediderunt. Quos enim Dominus ab aeterno ad vitam aeternam praedestinavit, hos cognitione Evangelij donat, juxta illud Pauli: Quos praedestinavit, hos & vocavit, Et quos vocavit, hos & (fide) justificavit. Rom: 8.

**Quare autem Deus non omnes praedestinavit / et cur non omnes fide donet / nostrum non est inquirere.** **Statuendum est autem / Deum esse justissimum et sapientissimum.** Interim ipsi toto pectore gratias agamus, quòd nos per praedicationem Evangelij ad participationem vitae aeternae vocaverit, & fide corda nostra illuminaverit.

In Caput XVI.

**Et non permisit id illis Spiritus (Jesu)**

Quare autem Dominus tum temporis noluerit Evangelion communicare illis gentibus, id nos ratione nostra perscrutari non possumus: Miseretur enim Dominus cuius miseretur. Neque est quod OCCULTA, sed eadem justa Dei judicia culpemus, eo nomine, quòd non omnes populos luce verbi sui donat: quin potius nos Deo (pro praedicatione Evangelij) toto pectore gratias agamus, & Evangelio Christi dignè vivamus, ne aliquando propter ingratitude à nobis regnum Dei auferatur & alij genti tradatur.

In Caput XXIII.

**Bene locatus est Spiritus Sanctus per Esaiam**

tam Prophetam / ad etc.

Vaticinium autem illud hanc habet sententiam: Quia Iudæi veritatem non diligunt, vt saluarentur: Ideo Dominus manum suam ab eis reducet, & suis ingenijs eos relinquet. Sic fiet, vt indies in deterius proficiant, & fiant magis cæci & indurati, & studiose avertant aures à sana doctrina, & occludant atque compri- mant voluntariè oculos suos, ne lucem veritatis videant. Itaque non conuertentur ad CHRISTVM, vt salutem consequerentur, sed sua ipsorum culpa peribunt ( Non enim Dominus videntes excæcat, nec audientes surdos facit, nec molles indurat, nec in- telligentes dementat: Sed contumaces ( qui mendacium magis quàm veritatem diligunt ( derelinquit, vt audito Euangelio dete- riores fiant, & iusto Dei iudicio pereant, 2. Thess. 2.

In Epist: Pauli ad  
Rom. IX.

Itaque ( vult concludere Paulus ) non omnes, qui carnalem ab Abrahamo propagationem habent, electi sunt à Deo ad Salutem æternam: Sed ij / qui ipsius fidem tenentes / compro- bant / se esse electum Dei populum. Salus enim nostra ex Dei electione / non ex carnali natiuitate aut propagatione pendet.

Propositum Dei maneret / id est / vt firmum con- staret æternum Dei decretum / quo alium eligit / al- terum reprobat.

Paulò post

Quare Salus hominis non consistit in vlllo humano merito ( quia Deus etiam nondum natos, quosdam elegit, quosdam reprobauit

SENTENTIAE D. LVCAE OSIANDRI

uit) sed ex mera ipsius misericordia tota salus nostra pendet.  
**Quid ergo ad haec dicemus** (inquit paulus) **an non videatur hoc humanae rationi absurdum / ut salus ab aeterno ei decernatur / qui nihil adhuc boni fecit / et damnationi relinquatur / qui nondum male est operatus.** Nunquid iniquitas est apud Deum? Nam certe haec videntur humanae rationi admodum iniusta: Absit (inquit Apostolus) ut Deus, iniustitiae accusetur? **Quia liberum est DEO ex hominibus in peccato conceptis et peccato originali infectis misericorditer eligere ad vitam / quos vult / et reprobare (seu in sua coecitate et impietate innata relinquere) quos vult.**

**Itaque non volentis neque currentis / sed miserentis est Dei.**

**ID EST,** Etiam si quis magno studio & conatu (non in vera tamen via) contenderet ad consequendam vitam aeternam, tamen non consequeretur eam, nisi diuinitus electus esset. **Non enim in voluntate hominis / sed in Dei voluntate situm est / ut quis saluetur. Saluatur autem is / cuius Deus miseretur.** Ceterum quod de volentibus & currentibus dictum est, non sic accipiatur, quasi ij, qui jam sunt renati, & ex animo cupiunt Deo obedire, & vero vitae aeternae flagrant desiderio, iterum a Deo abijciantur (cum haec ipsorum voluntas magnum aeternae Electionis sit iudicium & testimonium) sed de non renatis accipiendum est. Inuenti sunt enim inter gentes aliqui, qui ad futuram vitam meliorem aspirarunt, quod multa Socratis & aliorum quorundam Philosophorum dicta ostendunt: & iudaei (teste Paulo) iustitiam quarentes (sed ex operibus non ex fide) iustitiam & salutem non sunt consecuti, Rom. 9.

**Sed quia hi homines vera Dei agnitione destitue-  
 ban-**

banfur / frustra contenderunt ad Salutem: quia Deus eorum non est misertus: alias oculos mentis eis aperuisset / ut viam ad vitam inuenissent. Neque tamen ulla iniustitia est in DEO / quia neminem purum aut innocentem abijcit: omnes enim homines natura sunt peccatores. Itaque licet illi in eligendis demonstrare suam misericordiam / et in reprobandis suam iustitiam.

In hoc ipsum excitauit te. Deus non ita excitat impios, ut eos ad peccandum adigat: Sed pro sua imperscrutabili sapientiae benè utitur ipsorum innata malitia: ut, quò meliora & maiora opera ipse in Salutem Electorum faciat, tantò impij magis insaniant, donec tandem corruant & pereant anima & corpore, vnde Dei Majestas magis innotescit.

Nec tamen Deo eius indurationis culpa ascribi potest: Ut enim Magistratus bonus, subditum contumacem & perversum castigando pro meritis, non in causa est, si ille fiat deterior, & ex fure fiat latro vel incendiarius: Sic Dominus Deus non est in causa, quod impij (audito ipsius verbo) & acceptis castigationibus fiant nequiores. Excitatur autem latens in impijs malitia, & magis ac magis sese exerit, Deo operante, quod ipsius Majestatem decet. *Gott kan sie auffbringen / das sie wollen vor Bosheit Unsinnig werden /* nec tamen Deus creat istum furorem in ipsis, sed per accidens prouocatur & euocatur ista malitia, bonis & admirandis DEI operibus.

Et hoc vocat scriptura INDVRARE cor hominis impij: dum ex operibus Dei accipit occasionem homo, ut subindè deterior & intractabilior reddatur. Ergo cui vult miseretur Deus / et quem vult indurat / in ipsius enim liberissima / optima et iustissima voluntate situm est / ut ex infinito hominum (natura corruptorum et perditorum) nume-

ro / quosdam ( ex mera misericordia ) eligat / conuertat / et  
saluet : reliquos vero ( pro iustitia sua ) in mentis coe-  
citate relinquat / vt non tantum non meliores / sed  
( praedicto modo ) etiam deteriores fiant. Habent igitur  
Pij, quod pro clementia D E i gratias agant, impij vero non ha-  
bent, quod de iustitia Dei iure conquerantur.

Sequitur iam obiectio, quae à Curiosis hominibus ( in hoc praedestinationis articulo ) saepe adfertur. Dicis itaque mihi:  
Quid adhuc conqueritur Deus de nostra impietate et  
peruersis moribus? Cum omnes natura tales si-  
mus / in peccato quippe concepti et nati / neque no-  
strum sit nos ipsos conuertere: neque quisquam con-  
uertatur / nisi ipse velit et gratiam suam vt homo con-  
uertit possit / largitus fuerit. Ergo si me saluum sa-  
cere non vult / non ego sed ipse videtur in causa esse  
meae damnationis: Voluntati enim eius quis resi-  
stit? Si ipsi non placet vt conuertar / certe ipsius de-  
cretum ego mutare non possum aut efficere / vt non  
fiat / quod ipse fieri vult. Quare igitur non propter  
peccatum aut omnes homines damnat / aut omnes  
conuertit et saluat.

Hæc est impudens aduersus Deum calumnia & horrenda blas-  
phemia, omnino grauitè compescenda. Quare Paulus talia  
quærentem objurgat dicens: **O homo tu quis es** / ( puluis  
& vmbra, præterea etiam peccato totus corruptus ) qui responde-  
deas: rectius: vt responses Deo? Optimo, sapientissimo & iu-  
stissimo tuo creatori? Deus enim non tenetur creaturis suis ratio-  
nem reddere suæ administrationis.

Sumus enim ( propter naturæ nostræ corruptionem ) non au-  
rum aut argentum sed lutum, teste Esa. 64. & Ier. 18. Quare si  
Dominus Deus ex materia lutosa, non omnia vasa faciat in vsus  
honestos,



## DE PRÆDESTINATIONE

honestos, nemo id reprehendere debet: quia misericordiae est non debiti, si ex luto aliqua vasa fingat in honorem: Reliqua non habent quod iuste conquerantur, si non fiant vasa, quae mensae apponantur.

### In Caput XI.

Non ergo in vniuersum repulit seu abiecit Deus plebem suam iudaicam: eam autem plebem dico non rejectam quam praesciuit.

IDEST, eos iudaeos, quos ab aeterno ad vitam praedestinauit. Habet igitur Dominus (inquit Paulus) in iudaeorum gente sparsim aliquot millia hominum, qui ad salutem aeternam sunt electi: qui vel iam sunt ad Christum conuersi, vel certe suo tempore ante obitum conuertentur.

### Paulò post.

**Ceteri vero iudaei excoccati sunt.**

Excoccati autem dicuntur homines reprobi, non quod Deus illis luminatis fide, lucem veritatis eripiat. Sed quod coecos in incredulitate non modo relinquat / verum etiam splendorem Euangelij illorum mentibus obijciat: Vnde (suo ipsorum vitio), magis amentes & duriores fiunt, quemadmodum noctua Solis splendore caecari dicitur, & limus ab eodem sole induratur, à quo cera liquefit.

### Paulò Post.

**Conclusit enim Deus omnia / Gracè omnes (hoc est, tam**

SENTENTIAE D. LVCAE OSIANDRI

tam iudæos quàm Ethnicos) in incredulitate / vt omnium  
miseretur.

ID EST, Deus permisit vt primò gentes, deinde etiam Isra-  
elitæ in incredulitatem inciderent, eosque in sua potestate ( reos  
propter incredulitatem æternæ damnationis ) habuit, tanquam  
multitudinem hominum sceleratorum, qui in carcere vno simul  
sunt conclusi. Id autem non factum est, vt Deus gentes & iudæ-  
os omnes in incredulitate perire sinat, sed vt miseretur eorum,  
& ex ijs, quos vult ( tam ex iudæis quàm ex gentibus ) illumi-  
net, agnitione Christi, & donet illis gratis vitam æternam. Non  
autem sentiendum est, quod Deus homines ab incredulitate im-  
munes & innocentes coniecerit in incredulitatem: neque  
quod Deus tandem omnes homines ( nemine excepto )  
saluare velit / vtrunq; enim sacra scripturæ manifestè re-  
pugnat: Sed hoc docent verba Pauli, Deum idèò conuenire ad  
hominum incredulitatem & impietatem, vt tandem eorum, quo-  
rum vult, miseretur, eosque ex mera & gratuita misericordia  
saluet.

Non ignorauit Paulus, quantum mare curiosarum quæstionum  
inundet, vbi de Prædestinatione agitur: dum quidam quærent:  
Quare Deus hominem talem creauit, qui posset in peccatum labi?  
Quare non prohibuerit ne primi nostri parentes peccarent?  
Cur, cum iam peccassent, non eos in nihilum mox redegerit, &  
nouos innocentes homines crearet? qua de causa cum omnes  
nascantur iam peccatores, alios conuertat ad pœnitentiam, alios  
in cæcitate & impietate relinquat? Cur non omnibus tempori-  
bus & omnibus locis in mundo verbum suum prædicari curet, ne  
quisquam ignorantiam prætexere posset? quare hominibus cau-  
sam suæ damnationis imputer, quod scilicet voluerint credere  
Euangelio, cum nemo possit credere, nisi cui ipse fidem donet?

Hæc atque huiusmodi multa oggannire humanam rationem  
Deo optimo maximo sciebat Paulus: Itaque ( postquam ea; quæ  
nobis de Prædestinationis negotio cognitu vtilia & necessaria  
erant, exposuerat ) consultò jam abruptit hanc disputationem,  
per

## DE PROVIDENTIA

per maximè opportunam exclamationem: deducens nos à vanis nostris speculationibus in admirationem imperscrutabilis sapientiae diuinæ, & inquit: **O altitudo diuitiarum sapientiae et scientiae Dei: quam incomprehensibilia sunt iudicia eius.**

**IDEST**, qui ratione investigare velit, cur Deus hunc saluè illum verò in suo iudicio damnet: cum fuerint ambo olim increduli, ambo aut æquè scelerati, aut saluandus altero etiam sceleratior, Qui (inquam) hæc indagare susceperit, frustra se torquet. Et O quam investigabiles sunt viæ eius? Ita quidem vt nemo ipsius proposita & actiones (non reuelatas verbo) deprehendere possit.

Quemadmodum enim quispiam Saltuarius, qui omnium viarum in Sylua aliqua est peritissimus, etiam si Syluam videntibus alijs alicubi ingreditur, & videtur egressurus, vbi ipsi putabant: tamen per occultos & sibi soli notos tramites permeans, planè alio loco egressus, rursus conspicitur: Ita Deus in saluandis hominibus agit: vt quos iurares (ad tempus) omnium perditissimos, & à Deo planè abjectos, eos videas aliquando ab eodem Domino totos immutatos. Hæc inquam, ratione deprehendi non possunt: Quis enim cognouit sensum seu mentem Domini? non reuelatam verbo, *Wer wil in außspernen?* (Quare ultra reuelatam Dei voluntatem nemo scrutari instituat consilia & occulta iudicia & proposita Dei, frustra enim se fatigabit; imò in abyssum exitij sese præcipitem dabit.)

## In Epist: Pauli ad Cor:

Cap: II.

**Quod oculos non vidit / etc.**

Habet Propheticum illud dictum hanc sententiam, Deus suis Electis præparauit in altero seculo talem tantamque gloriam & felicitatem, qualem nemo vnquam in his terris vidit: neque de  
D rali

SENTENTIAS D. LUCAE OSTIANDRI

tali vnquam ( quod in terris extiterit ) auditum est : neque homo cogitationibus vllis in corde suo tale gaudium concipere potest, quale futurum est Electorum Dei in altera vita.

In Epist: Pauli ad

Ephes. 1.

Sicut etiam elegit nos in ipso ante mundi constitutionem: Si ergo electi sumus antequam mundus crearetur, certa & firma est salus nostra, neque eam nobis Satan suis technis eripiet. Si in CHRISTO electi sumus necesse est, vt per fidem in ipsum nobis beneficia eius applicemus. Non enim Electi sunt quaeerendi inter eos populos qui nullum habent CHRISTI cognitionem: Sed neque nos Electionem nostram scrutemur in OCCVLTO DEI CONSILIO, sed respiciamus IN CHRISTVM pro nobis Crucifixum. Si in hunc vere crediderimus Electi et salui sumus. Electionis autem consolatione non abutamur ad licentiam carnis: sed potius ideò sanctè & inculparè in oculis Dei vivere studeamus, quia ad vitam aeternam Electi sumus.

Paulò post

Idque decretum clementissimum fecit benignissimus ille Pater, à nemine impulsus, neque cuiusquam hominis merito iniuratus, sed quia sic ipsi beneplacuit. Itaque ipsius SOLA VOLVNTAS prima est nostrae salutis causa.

In Epist: Pauli 2, ad

Thes. 2.

No

## DE PROVIDENTIA

Ne quis autem existimaret, hominem ex sola Prædestinatione, sine regeneratione & Ministerio verbi saluari, addit Paulus: **In sanctificatione Spiritus / et in fide veritatis / in qua vocavit nos Deus per Evangelium nostrum in acquisitionem gloriae Domini nostri Jesu Christi.**

**ID EST**, Deus quidem vos elegit ad æternam salutem (pro qua re æquum est, vt Domino gratias agamus) sed elegit ita, vt voluerit vos per Spiritum suum sanctificare: Et voluit vt Evangelio **CHRISTI** crederetis.

### In Epist: Pauli 2. ad

Tim. Cap. 1.

**Vocavit nos ad illam æternam faelicitatem / non secundum opera nostra / sed secundum æternam electionem / seu propositum suum / et secundum gratiam et clementiam gratuitam / quae data est nobis in Christo Jesu / ante tempora secularia: rectius / æterna / (praedestinavit nos Deus ad æternam salutem propter **CHRISTUM** / antequam mundi fundamenta jacerentur) Redemptionis igitur nostrae memores nihil non pro gloria **DEI** pati simus parati.**

Salus enim nostra non est ex meritis nostris, sed ex gratuita Dei clementia. Et cum nitatur ea, æterna Dei Prædestinatione, nulla vis Satânica nobis eripere poterit. Dum autem Prædestinationem nostram consideramus, cogitationibus nostris non extra **CHRISTVM**, vagemur. Qui enim in Christum redemptorem vere credunt / hi sunt praedestinati: **Extra Christum autem nulla est salus.**

D 1

In Apoc

## In eand. Epist. Cap. 2.

Sed firmum fundamentum DEI (inquit Paulus) stat / habens signaculum hoc / Cognouit Dominus / qui sunt eius: et discedat ab iniquitate omnis / qui nominat nomen Domini. Graece: **ΧΗΞΣΕΞ**.

ID EST, Hoc est immotum fundamentum apud Deum, & est instar Sigilli, quo literæ aut diplomata confirmantur: quod videlicet Dominus omnes illos optime nouit, quos ad vitam æternam prædestinauit. Ergo / qui in eorum sunt numero / aut non seducentur falsa doctrina / aut in errore exitiiali non perseuerabunt usque ad finem. Interim tamen quicumque profiteretur se pertinere ad **ΧΗΞΣΕΞ** / is ab omnibus corruptelis tam doctrinae quam morum sibi diligentissime caueat. Non enim stare possunt cum vera salutari fide / impia doctrina aut scelerati mores.

## In Apocal. Ioan.

Cap. VII.

Quoadusque nos Sancti Angeli signemus seruos Dei nostri in frontibus eorum: ne illis malorum angelorum conatus noceat. Talis etiam visio extat in Ezechiele, ubi signantur, &c. Significat autem hæc posterior visio in Apocalypsi, Deum electos suos (grassantibus hæresibus) conseruare / ut aut in hæreses non incidant / aut certe  
erro.

DE PRAEDESTINATIONE

errorem agnoscant et resipiscant / ne cum alijs damnentur. Hoc vult CHRISTVS cum dicit : Surgent Pseudo Christi & Pseudo Prophetæ, & dabunt signa magna & prodigia, ita vt in errorem inducerentur, SI FIERI POSSET, etiam Electi. Matth. 24.

In Caput XVII.

Electi aut non errant / aut in errore non  
perseuerant.

F I N I S.



DE LA REPERTEITION  
CITOTUM d'ignos...  
HOMIN. Hoc vult...  
Causis...  
...

# In Caput XVII.

...

55

...

L I N E

...	24	2
...	12	1
...	18	3
...	22	7
...	10	10

...



50  
48  
2

12  
8  
4

1  
2  
4  
8

11  
2  
4

1  
2  
4  
8

1  
2  
4  
8

1  
2  
4  
8

1  
2  
4  
8

2 boys



8 6 2

5 2 5

50

17 10

53

10 20

58

1 20

59

12 20

60

4 20

61

— 20

62

Handwritten signature or mark at the bottom of the page.



			33	4
			<u>    </u>	4
				1
			2	8
			<u>    </u>	1
				11
			5	8
			<u>    </u>	1
				12
			14	1
			<u>    </u>	1
				10
			10	
			<u>    </u>	

Johann Schott  
 Altona

Journal des





IL 6097

(x2217937)


sb.

*Faint handwritten notes, possibly including '1500' and '17'.*

*Handwritten numbers and symbols:*  
11 2  
2 2  
3 2 4 5  
7 2  
Länge 11 mm







SENTENTIÆ  
Doct̃oris Lucæ Osiandri, de  
PRÆDESTINATIONE, EX  
PRÆCLARIS EIVS IN SANCTA  
CRA BIBLIA COMMENTARIIS  
COLLECTAE:



Studio & Opera

M: Iohan: Pandochei, Ecclesi  
clesiæ Northusanae Pastoris.

IMPRESSÆ SVMPTIBVS  
Iohannis Eysenbergij.

I 5 9 7.

